soror: « Parentes mei non coëgerunt sororem ad Ioannem, imo « mater mea monuit eam matrimonium non esse ludum puero- « rum ».

10. – Exceptum quidem est in hos testes, alterius agminis. Hi enim vocati ut pro testimonio dicerent, non sine difficultate ad id sunt adducti. Iterum autem vocatae ad examen subeundum, Teresiae mater et soror decreto non obtemperarunt. Praeterea cum mater tum soror inducunt Teresiam libenti animo nubentem Ioanni, quod attentis aliorum testimoniis difficile est admittere. Denique mater ait: « Quattuor durantibus annis in pace vive- « bant. ... Cur virum dereliquerit, nescio ». Quod admitti nequit.

Fundamento carere haud videtur exceptio, attento quoque modo quo in causa se gessit Teresia. Quae in ius vocata comparere noluit. Hac autem in instantia, citata, stetit quidem coram iudice, sed, ut legitur in actis: « Ad interrogationes respondere « noluit et declaravit se protocollum non esse subscripturam. « Postea, cum iam abire voluit, dixit se, quamdiu sua postulata « ab actore non acceperit, pro validitate matrimonii, postquam « vero sua postulata acceperit, contra vinculum matrimonii esse « staturam ». Facilis igitur est suspicio, quod mater et soror, consentientes Teresiae, testimonium veritati non in omnibus conforme protulerint.

Ex suspicione vero oritur dubium circa ea quae a testibus asseruntur, oriri autem nequit probatio eorum quae contradicunt assertis. Itaque, negata fide testimoniis matris ac sororis, restat ut probetur metum fuisse Teresiae incussum. Cuius probationis argumenta, quae supra sunt exposita, adeo sunt infirma, ut PP. mirati sint, quomodo in prima et in altera instantia iudices favorabilem actori ediderint sententiam.

11. – Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno etc. definitive sententiamus: *Non constare de matrimonii nullitate, in casu,* seu ad dubium propositum respondemus *negative.*

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 29 aprilis 1929.

Maximus Massimi, Decanus, *Ponens.*
Iulius Grazioli.
Franciscus Parrillo.

Sententia facta est exsecutiva.

R. P. D. FRANCISCO PARRILLO

HIEROSOLYMITANA
DIFFAMATIONIS ET ALIMENTORUM

SUMMARIUM

1. 2. 3. Facti species. — 4. Iuris principia de alimentis praestandis uxori, a viro derelictae absque iusta et legitima causa. — 5. Explosis duabus partibus dubii concordati, unice videndum, in quanam mensura vir teneatur alimenta uxori suae praestare. — 6. Cur pensio, ab appellata sententia fixata, actrici videatur esse irrisoria. — 7. Omnibus circumstantiis perpensis, statuitur congrua summa alimentorum, — 8. addita clausula provisoriae exsecutionis. — 9. Fertur sententia.

Decisio XXIII

1. – Rita, legitima uxor Titi, reversa vix erat cum viro suo ex America in N., oppidum Aegypti, ineunte anno 1925, cum insimulari ab eo coepit coniugalis infidelitatis et subinde deseri. Titus ad suos confugiens in oppidum Z., omnia iam paraverat pro reditu in Americam uxore derelicta, quae tamen, proposito tempestive rescito, ad Patriarchatum Latinum Hierosolymitanum confugit, ut viro discessum inhiberet simulque eum iudicialiter citaret ad respondendum de calumnia in eam. Viro vadato litequе contestata, cito compertum est de re agi, quae brevi absolvi non poterat, praesertim ob testium auditionem, maxima parte in America degentium. Tito autem reditum urgente, quia ex mora ingens damnum suis negotiis obvenire poterat, tribunal sententiam interlocutoriam tulit die 22 martii 1925, haec disponens: « Il marito può ritornare in America, in attesa di sentenza « definitiva, però nel frattempo il marito deve corrispondere alla « moglie gli alimenti in base di piastre 25 al giorno, a decorrere « dal giorno in cui lasciò la moglie in N. Questa retta per gli « alimenti la moglie deve pigliarla dalle lire 50 che il marito « aveva inviato antecedentemente alla famiglia. Se questo tribu- « nale non fosse in grado, per ritardi di documenti richiesti, di « pronunciare sentenza definitiva prima che detta somma sia « esaurita, la moglie potrà richiedere al marito l'invio del cor-

« rispondente per gli alimenti. In caso di rifiuto, essa è in po-
« tere di alienare quanto il marito portò in N., di cui però non
« sia stata già fatta precedente donazione a lei dal marito stesso
« o da altri ». Ab hac sententia Rita ad S. Sedem provocavit, rogans ut etiam de controversiae merito videre dignaretur, et respectiva acta a S. Congr. super disciplina Sacramentorum (cui ablegata) fuerunt ad Nostrum Tribunal transmissa.

2. – Concesso actrici beneficio gratuiti patrocinii, citatus fuit prima vice eius vir die 9 novembris 1926 ad litem contestandam, at ipsi respondenti, se Romam venire non posse et neminem cognoscere, cui procuratorio nomine sua iura delegare posset, altera citatio fuit missa die 1 februarii 1927, adiecta notula advocatorum penes Nostrum Tribunal, ex quibus patronum, quem mallet, eligere poterat. Cum vero ipse petiisset, ut delegaretur Episcopus X., in cuius territorio vivit, ad testes ibi residentes excutiendos, repositum fuit, quod eorum nomina exhibere antea debebat, una cum articulis sub quibus interrogandi erant, iuxta can. 1761, § 1; subinde facultates et instructiones dari poterant pro iisdem, servatis de iure servandis, inibi audiendis. Reus conventus in sequelam huius alterae citationis patronum designavit, qui tamen mandatum acceptare nequiens, eidem significavit eum posse alterum, cuius nomen subiiciebat, eligere. Interim litis contestatio suspensa mansit in expectationem huius novi procuratoris constituendi, patrono actricis et Promotore iustitiae consentientibus. At septem exspectationis mensibus inutiliter effluxis, Ritae patronus ursit, ut tertio, et quidem peremptorie, Titus citaretur, prout factum est die 25 novembris 1927. Tunc tantum, velut e somno expergefactus, reus ministerio Episcopi X. significavit se novum procuratorem non constituisse, quia immodicum emolumentum sibi petere ausus fuerat, quem primus constitutus in suum locum substituendum suggesserat, simulque instabat iterum, ut eidem Episcopo facultas concederetur ad testes de suo latere excutiendos, quos tamen nec designaverat, nec sub quibus articulis interrogandos dixerat, iuxta responsionem alias datam.

3. – Cum iam a triennio circiter haec causa in Rota iaceret insoluta ob viri culpam, nec facilis spes esset ex eiusdem tergiversationibus eam brevius resolutam iri, litis contestatio habita est die 28 aprilis 1928, inter actricis patronum et Promotorem iustitiae, quaestione ad unicum punctum de alimentis constricta, etiam ob mulieris conditionem inter iudicii moras peiorem factam

ob suorum mortem. Ad huius patroni instantiam, Titus contumax declaratus est ad normam can. 1729, § 1 et can. 1843, eidemque formula dubii concordati significata ex officio fuit, spatio unius mensis utilis concesso ad suam contumaciam purgandam. Quaestionis solutio, eodem decreto, statuta fuerat pro die 8 augusti superioris anni, sed iterum viri culpa factum est, ut ad hodiernam diem comperendinari debuerit. Siquidem in responsione ab eo tempestive data, bina adduxit motiva ad suam contumaciam purgandam, praeter factum patroni immodicam summam requirentis, et petitam delegationem ad testes in dioecesi X. excutiendos, de quibus in praeteritis responsionibus egerat. Dixit enim se litis obiectum prorsus ignorare, quia nulla sententia in forma iuris a Patriarchatu Hierosolymitano fuerat ipsi notificata, et insuper se pauperem esse, cum, bona immobilia non possidens, labore suae industriae vivat; unde beneficium gratuitae defensionis expostulabat. Quamvis haec motiva, post trinam citationem et contumaciae decretum adducta, futilia et ad novas moras iudicio nectendas viderentur facta, nihilominus voluimus debitas super iis informationes sumere, ex quibus patuit, sententiam interlocutoriam super alimentis, de qua hodierna quaestio, fuisse Tito personaliter a tribunali lectam, in cuius sequelam ipse in Americam se conferre potuit; eundem insuper optima frui oeconomica conditione, unde beneficio gratuiti patrocinii cumulari non possit.

In hodierno coetu sequens dubium pro resolutione proponitur, nempe: *An, qua mensura et a quonam tempore Titus teneatur alimenta uxori suae praestare, in casu.*

4. – **In iure.** – Indubium est mulierem, a viro derelictam absque iusta et legitima causa, ius habere ad alimenta, quamdiu iudiciali sententia definitive ostensum non sit, sua culpa maritale consortium cessasse. Alimenta autem congrua esse debent, attenta nempe dignitate personarum, quantitate patrimonii et consuetudine loci; quod potissimum in regulato iudicis arbitrio est positum, qui prae oculis habere debet, alimenta non stricte consistere in solo pane et vino atque habitatione, sed etiam in omnibus aliis ad sustentationem vitae necessariis, quae omnia sub nomine alimentorum veniunt.

5. – **In facto.** – Quaestio sub enunciata dubii formula proposita tres complectitur partes, nempe: *a*) an Titus teneatur alimenta uxori suae praestare; *b*) a quonam tempore; et *c*) in qua-

nam mensura. Sed prima et altera extra omnem controversiam est posita, nam appellata sententia utrumque cavit, edicens virum teneri ad alimenta uxori suae praebenda, eaque a die, quo eam deseruit. Cum vero Titus nec principaliter nec incidenter, post gravamen uxoris suae, a tali sententia appellaverit (can. 1887, § 2), una et altera pars res iudicata facta est. Manet itaque tertia pars, quae unice contentioni materiam praebet; nam in gravamine ab actrice producto legitur: « Il tribunale del Patriar-« cato nella sua sentenza, così detta provvisoria, fissando la retta « di venticinque piastre egiziane al giorno, per il mantenimento, « veniva a trattarmi come una persona trascurabile, pur essendo « moglie d'un ricco signore, e per conseguenza aumentava il so-« spetto contro la mia fama ». Et Vicarius Apostolicus Aegypti instantiam commendat ex parte patris actricis, « perchè almeno « venga costretto il marito a passare alla sposa, così abbando-« nata, una pensione che le permetta di vivere onoratamente ».

6. – At si pensio pro alimentis ab appellata sententia fixata, nedum incongrua, sed et irrisoria visa sit actricis parocho (prout in suis informationibus), fortiori ratione hodie talis habenda est, attenta conditione, in qua ipsa versatur postquam sui, inter moras iudicii, viam universae carnis sunt ingressi. Uxori enim, communem vitam cum parentibus agenti, minora sufficiunt pro alimentis subsidia, quam soli et seorsim viventi suppetere possint; et aliunde cum ipsa assueta esset honeste et commode vivere in ipsa domo viri, hac conditione non est exspolienda quousque de sua culpa iuridice non constet.

Rita pro sua congrua sustentatione, expensis ad hoc supputatis, petit triginta libellas anglicas, singulis mensibus sibi a viro rependendas, quam summam iustam et convenientem tenet eius parochus, loci et personarum conditionibus attentis, prout viri redditibus, qui ascendunt, iuxta informationes de eo sumptas, ad menstruas libellas anglicas 70 et ultra.

7. – Verum haec petitio non parum exaggerata visa est PP. Auditoribus et ipsi Promotori iustitiae, etsi uti absolute verum retinendum foret virum ex sua industria lucrari singulis mensibus septuaginta et amplius libellas, quasi haec summa inter coniuges dimidiari debeat! Vicissim, circumstantiis omnibus attentis, et praecipue facto quod Rita, viventibus suis, minori quam hodie summa indigebat ad alimenta sibi comparanda, hinc PP. Auditores, quadam compensatione posita inter praeteritum et

praesens, alimentorum mensuram statuunt in menstruis libellis anglicis quindecim a die discessus viri.

A summa, quam Titus uxori suae restituere tenetur pro alimentis iam consumptis, demendae sunt libellae quinquaginta, de quibus cavet appellata sententia: « Questa retta per gli ali-« menti la moglie deve pigliarla dalle lire 50, che il marito aveva « inviate antecedentemente alla famiglia »; nam super hoc puncto nullum gravamen ab actrice productum est, unde habendum inter partes incontroversum, re quoque iudicata firmatum.

8. – Attenta demum alimentorum natura, quae celerem exposcunt expeditionem, iuxta vulgare dictum, « venter non patitur dilationem », efficaci modo praecavendum est, ne ex viri tergiversationibus, etiam sub obtentu praesidii iuris, uxori alimenta in futurum denegentur. Exinde PP. Auditores (instante actricis patrono), in vim facultatis a can. 1917, § 2, 2° indultae, suam sententiam clausula muniunt provisoriae exsecutionis quoad alimenta ab hac die in futurum praestanda, quousque nempe aliud per sententiam definitivam super causae merito non fuerit determinatum, vel nisi interim contendentibus placeat vitam communem instaurare, prout edixit quoque appellata sententia. Et id, non obstante appellatione, seu rectius, petitione restitutionis in integrum ad appellandum ex parte rei conventi contumacis, ad normam can. 1847.

9. – Quibus omnibus attentis, Nos infrascripti Auditores de turno etc. sententiamus, sic respondentes ad propositum dubium: *Affirmative in menstruis libellis anglicis quindecim a die discessus viri, demptis tamen quinquaginta libellis, de quibus in appellata sententia.* Et cum clausula provisoriae exsecutionis, in terminis prout in textu. Condemnamus insuper Titum ad solvendam taxam huius sententiae.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 4 maii 1929.

Franciscus Parrillo, *Ponens.*
Franciscus Morano.
Arcturus Wynen.

Sententia facta est exsecutiva.